

quid veneni sub Syllabis lateat . . . Decernere si placet, obsecro, non timebo tres hypostasies dicere, si iubeatis. Condatur nova post Nicenam fides: & similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi. C. S. Augustinus ad Innocentium: (1) Magnis periculis infernarum membrorum Christi pastoralis diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. S. Anselmus ad Urbanum PP. lib. de incarn. ante cap. 1. Ad nullum alium vestrius refertur, si quid contra Catholicam fidem erit in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur. S. Bernardus ad Innoc. (2) Oportet ad vestrum deferri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei &c. Sic, inquam, oportebat ad S. Sedem recurrere, ac cum S. Prospero lib. contra Collatorem concludere: Confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Celestino, operetur & in Xisto (Clemente XII.) & in custodia Domini gregis hæc sit pars glorie huic reservata Pastori; ut sicut illi Lupus abogere manifestos: ita hic depellat occultos.

C A P. II.

De damnatarum propositionum sensu, earumque Auctore.

§. I.

Unde propositionum damnatarum sensus erui possit ac debeat? Statuantur aliquot Regule.

I. Auctor Theologie Supplicis ostensus necessitatem explanationis Bullæ Unigenitus, seu articulorum per eam damnatorum, ita scribit: (3) Quid, quod in aliquibus propositionibus, Clementino iudicio proscriptis, frustra sensus queratur Auctoris, in quo res ipsa non extant, sed mutilata a delatoribus ac deturcata Consensorum iudicio subiecta sunt; ut 29. & 59. in multis vero per se se ambiguis assertionibus, quibus sensus potest subesse geminus, inter Scriptoris verba fuerit, nec ex consequentiis; nec ex tota textura sermonis retigi potest. Cum Quænellus desultoria methodo scripserit, atque sententias dederit, nudas ac sparsas disjunctas invicem, nullaque sermonis textura colligatas. Hæc præfatus Auctor. Quali vero sensus propositionum captiosarum ac æquivocarum nullatenus aliunde, sed ex ipsis solummodo verbis æquivocis vendendus sit? Sed nec adeo Laconice Quænellus scripsit, quin sensus propositionum damnatarum, ex ipsis met propositionum verbis haberi, nec tam desultorie, quin ex antecedentibus & consequentibus in ipso Reflexionum Moralium lib. uti in progressu videbitur, fat colligi possit. Opere pretium, ob hanc causam, me facturum arbitratum sum, si, priusquam ad propositiones ipsas accederem, quasdam quasi regulas præscriberem, ad quas in decursu operis recurrerem aut remittendo, in eruendo propositionum damnato sensu, non nihil juvarem. Has, ex optimis & irrefragabilibus Auctoris, Summorum scilicet Pontificum Constitutionibus, ac S. Augustino collectas mox subijcio.

II. Primo, omnino diligenter observandum existimo, Virus propositionum Quænellianarum, quasi studio occultatum, intus latere, externa pietatis & sanctitatis specie palliatum. Id nobis significare dignatus est Clemens XI. in prima Quænelliani operis proscriptio anno 1708. (4)

Constitutione incipiente: Univerſi Domini gregis &c. Nos, ait Pontifex, librum huiusmodi nomenclis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum committimus; illi vero mandatis nostris obsequentes librum ipsum, post accuratam ejus discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote qui Sacrum ipsum novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiarum . . . Notas insuper, & observationes continet, habentes quidem SPECIEM PIETATIS, sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducemes, in quibus passim occurrunt doctrine & propositiones seditioſe, temeraria, perniciosa, erronea, atias damnata, & Janſenianam heresim MANIFESTE sapientes. In Constitutione Unigenitusdem Pontifex ita loquitur: Pespiciamus necimus summam huiusmodi libri perniciem idea possimam progreſſi & intualere, QUOD EADEM INTUS LATEAT, & velut improba sanies, nonnisi seculo ultero foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legemes specis quadam pietatis illicet &c. Scilicet, affectavit Quænellus loqui quasi lingua SS. Patrum, Conciliorum, Scholarum Catholicarum, imo & Scripturæ Sacræ, secutus Eterodoxos plerosque, qui data opera, ac mira calliditate hæreses suas solent disseminare verbis subobscuris: ut si forte erroris postulerent, facili negotio pium aliquem sensum verbis suis, a proprio, quem ipsi intenderunt sensu detortis, possint appingere. Nequibat hoc latere summum Ecclesiæ Pastorem, a Spiritu Sancto in huiusmodi negotiis specialiter directum, ac aliunde sagacissimum. Quapropter speciem, quæ primo aspectu possit occurrere, discernens ab intus latente veneno, hoc quidem perniciolum variis ex capitibus, illam vero etiam pietatis esse declaravit. Ut proinde nedum impie, sed pueriliter etiam, & contra expressum Constitutionum Apostolicarum tenorem dubitetur, damnaveritne Clemens perverſum illarum propositionum sensum; an sententias SS. Patrum, Conciliorum, vel quod pejus est, Scripturæ Sacræ, quibuscumque damnatae Theses habere possent quandam similitudinem. Hoc enim vero; præterquam sit, ausu profus temerario, imo hæretico dubitare, erraveritne in fide, nedum Summus Ecclesiæ Pontifex, sed Ecclesia Catholica Univerſa. Constitutionis ad hærens; est pueriliter ab eadem (5) Constitutione (verba sunt Clementis XI. Epist. ad Cardin. Noailium data) illiusque toto, & quidem satis aperto tenore prorsus aberrare.

III. Secundo observandum censeo, Quænellianæ propositiones, super variis qualificationibus, seu censuris RESPECTIVE damnatas esse. Porro quid sibi velit To respectivæ, atque quem ob finem taliter damnatae sint, idem Clemens XI. (6) aperuit tum Brevis ad Archiep. & Episcopos Galliar, tum in Bulla Pastoralis Officii ad universos Christi fideles data. In hac porro Constitutione, (7) inquit Pontifex in priori Epistola; ne pravus hic liber, longe ante a Nobis damnatus, EMENTITÆ PIETATIS SPECIEM, fidelium simplicitati possit amplius illudere . . . exceptos singillatim ex eo prout Rex. (8) quam Antistes supradicti, enixe a nobis postulaverant, noxios quosdam articulos . . . censuris variis, quas RESPECTIVE, ut ajunt, hoc est, SINGULI EARUM SALTUM ALIQUAM MEREBANTUR, inustus usitato hujus Sanctæ Sedis more, proscriptimus; ut ita vel ex ipsa errorum colluvie in propatulo posita agnoscerent omnes, quanto domum veneno huiusmodi liber, tametsi dulcibus subdole illius siccis, non modo conspersus, sed plane

plane infectus esset: ne quisquam deinceps, quod frustra alias tentatum fuerat, eundem satis emendatum fidelium manibus obtrudere se posse confideret. Habemus his in verbis quid sit propositiones illas RESPECTIVE damnatas esse, quidve Pontifex hac damnatione intenderit. Poterit autem una observari, modum hunc damnandi respectivæ novum haud esse, sed S. Sedi usitatum: cujus exempla recentiora suppeditarunt Alexand. VII. Innocentius XI. Alexander VIII. & Innocentius XII. quorum Decreta Univerſa reverenter suscepit Ecclesia. Vetustius exemplum si mavis, occurrit Leo X. quadraginta & unum Lutheri articulos respectivæ damnans; quam ob causam a solo Luthero eique adherentibus canino dente impetitus fuit; uti Clemens XI. a Quænellio ejusque affectis: Ecclesia univerſa interim eorum Decreta venerabunde suscipiente. Aliud quoque vetustius longe exemplum reliquit Constantiensis Synodus, quadraginta quinque Joannis Wicleff, & triginta Joannis Husz respectivæ proſcribens articulos: ut merito dixerit Clemens XI. se, damnando Quænellianæ respectivæ, usitatum Sanctæ Sedis morem, fuisse secutum.

IV. Tertio observandum, frustra lamentari eum de sua damnatione, qui veteres hæreses ausus fuit suscitare. (1) Achabius, ait Gelafius PP. Achabius non est factus inventor novi erroris, sed veteris imitator: atque ideo non erat necessarium ut adversus eum nova sententia prodiret, sed antiqua tantummodo renovaretur. Facili sum itaque executor veteris constituti, non promulgator novi: quicumque enim in hæresim semel damnatam labitur, ejus damnationis seipsum involvit. Ut vero quis censetur antiqua hæresis promulgator aut suscitator, satis evidens est necesse haud esse, eadem ac illi lingua, isdemque verbis ac illi utatur; sufficit quod equalibus aut æquipollentibus. Huc referri potest illa Undecimæ Innocentii præcautio, qua usus deprehenditur in damnatione famosi Molinos. Perisusque, inquit Innocentius, ne quis cuiuscumque gradus, conditionis vel status, etiam specialis nota dignus, audeat, sub quocumque pretextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub ÆQUIVOCIS aut ÆQUIPOLLENTIBUS, sive absque nomine, sive ficto aut alieno nomine, ea imprimere, vel imprimi facere &c. Scriptori itaque, qui velit Catholicus esse & haberi, sollicitè cavendum ab eisdem cum hæreticis vocibus; imo equalibus & æquipollentibus: et si absque nomine, aut ficto vel alieno prodeat.

V. Veniamus modo ad Regulas initio §. promissas. Regula I. Sensus alicujus propositionis, nedum ex ipsis propositionis verbis, sed ex unius quoque cum alia connexionem, peti potest. Aphorismus hic ex Innocentii XII. librum cui titulus Maximes des Saints, & 23. ex eodem excerptas propositiones damnantis Constitutione, desumptus est. (2) Librum prædictum, inquit Pontifex, ubicumque & quocumque alio idiomate . . . quippe ex ejus lectione & usu fideles sensum in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent; ac insuper tanquam continentem propositiones, SIVE IN OBVIUM EARUM VERBORUM SENSU, SIVE ATTENTA SENTENTIARUM CONNEXIONE temerarias, scandalosus, male sonantes, piarum animarum offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas RESPECTIVE, tenore præsentium damnamus, & reprobanus. Quibus ex verbis non id solum sequitur quod initio diximus, nimirum, ad obvium verborum sensum, & propositionum inter se connexionem attendi posse ac debe-

re; sed insuper habemus, quod secundæ Regule loco observari poterit.

VI. Regula II. Eas etiam propositiones posse proſcribi, quæ, etsi non ita expresse errores olim damnatos contineant, tales tamen sunt, ut fideles sensum in errores ab Ecclesia proſcriptos & olim damnatos inducere possint. Patet ex verbis Innocentii XII. num. præcedenti relatis: Librum prædictum . . . quippe ex ejus lectione & usu fideles sensum in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent . . . damnamus & reprobanus. Quod hic de libro dicitur, nihil prohibet, quo minus propositioni applicetur.

VII. Regula III. Dum propositiones sunt æquivocæ, subobscuræ ac involutæ, quales sæpe occurrere solent in tenebrosorum operibus, ad alia quoque eorumdem Auctorum Opera recurri potest. Hanc regulam S. Augustinus in Pelagii quibusdam assertis, apparetur catholicis dijudicandis tenuit. Dixerat Pelagius (ita refert Augustinus) audientibus Albina, Piniano & Melania (3) Anathema, qui vel sentit vel dicit, gratiam Dei qua Christus venit in hunc Mundum peccatores salvos facere, non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam: Et qui hanc conatur auferre, prævas serviantur æternas. Insuper, sine ulla recusatone damnaverat eos, qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: damnaverat etiam eos, qui docent gratiam Dei secundum merita nostra dari. An Augustinus eum propterea hæresis absolvit? Minime. Sed cur verba tam apparetur catholica, in partem pejorem, imo pessimam Augustinus interpretatus est? Rationem assignat Augustinus ipse: (4) Ubi peccabimus ejus de hac re omnes tergiversationes esse consumptas . . . tamen in libris quos edidit pro libero arbitrio, quorum mentionem facit in epistola quam Romanam misit, nihil aliud sentire monstratur, quam id quod damnasse videbatur.

VIII. Regula IV. Habenda est ratio Auctoris, cujus est propositio dijudicanda, scopi, circumstantiarum temporis, errorum qui regnant &c. Hanc regulam, concordi omnium criticæ artis peritorum consensu confirmatam, egregie attis follet, exponit noster Illustrissimus Cano sequentibus verbis: (5) Expediam brevi rem hanc, & planam exemplo uno faciam. Legis illam propositionem, Pater major me est, in Evangelio. Habes illius doctrinæ Auctorem cognatum & perfectum: antecedentia & consequentia in Evangelio verba diligenter attendis, ejus doctrinæ principia reliqua memoria tenes. Jam experiere, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum, propositionem illam: Pater major me est, non hæresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eandem in Arianorum libris Athanasius. Auctores intrus & in cute noverat: Ariane disciplina causas & effecta, principia & connexa perſpexerat. Et que in Evangelio Christi dulcis erat super mel & favum, eadem propositio in Arianos transfusa, sapiebat hæresim, eratque ejus gustui vel amarissima. Atque ut idem vinum ex vase uno sipit picem, ex altero non sapit: & res eadem illud olet, unde sit, & cæno male, ex arcula muliebri bene; sic una & eadem oratio ex uno corde & ore odorem spirat jucundissimum, ex altero terrorem . . . Quemadmodum etiam videmus aquam & radicibus & canalibus, per quas transit, aliud atque aliud & olere & sapere &c.

IX. Re-

(1) Epist. 176, alias 92. (2) Epist. 190. (3) Pag. 16. (4) Die 13. Julii. (5) 26. Febr. 1715. (6) 20. Nov. 1716. (7) 5. kal. Sept. 1718. (8) Gallie Ludov. XIV.

(1) Causa 24. quest. 1. cap. 1. (2) 12. Martii 1699. (3) De grat. Christi c. 2. (4) Ibid. c. 3. (5) Cap. 3. tit. (6) Lib. 12. de Locis cap. 10.

IX. Regula V. Si Auctor de errore suspectus in aliqua materia, de eadem illa materia scribat, nec veritatem tamen catholicam distincte & clare exprimat, ipsum ejus silentium pro erroris confessione habetur. Hanc nobis subministrat S. Augustinus, qui contra Pelagium sic invehitur: (1) Gratia ergo Dei, non qua instituitur, sed qua restituitur, homo, queratur; qua ab ipso sola CLAMATUR non esse necessaria CUM TACETUR. Qui si omnino nihil de gratia Dei diceret, nec eam questionem solvendam sibi proponeret, ut a se de hac re invidiam removeret; posset putari hoc quidem sentire quod veritas habet, sed non dixisse; quia non ubique omnia dicenda sunt. Proposuit de gratia questionem: id respondit quod habebat in corde. Definita questio est; non quam volebamus; sed ubi quid sentire dubitabamus. Vide etiam Augustinum de gratia Christi cap. 30. & 39.

X. Regula VI. Si quis de haeresi quondam convictus, nusquam tamen se errasse manifeste fateatur; de eodem errore suspectum reddit. Desumitur hac regula ex ipso rursus Augustino, (2) qui rationem reddens cur Pelagius catholicus haberi non debeat, ait: *Istam Dei gratiam, in divinis eloquiis manifestam, etiam Pelagius manifesto fateatur, seque tam diu contra scripsisse non operari impudenter pudore, sed dolore saluberrimo aperiat; ut Sancta Ecclesia non turbetur perniciosa ejus obstinatione, sed veraci correctione laetetur.* Et iterum c. 30. *Emendat haec omnia, ne si in verum magnarum profunditate humana erravit infirmitas; etiam diabolica huic accedat erroris vel fallacia, vel animositas: sive negando quod sensit; sive defendendo quod peperam sensit: cum id se non debuisset sentire, commemorata perspicua veritate cognoverit.*

XI. Regula VII. Ex ipsis quoque Auctoris quo de agitur Discipulis, associatis, affectis, ejus sensum nos venari posse Augustinus iterum Auctor est. (3) Patet id ex cap. 33. ejusdem libri; nam postquam cap. 32. quaedam Pelagii verba, quasi manifeste catholica retulisset, prosequitur cap. 33. *Quis crederet sub hac quasi manifesta confessione sensum latere contrarium, nisi eum Celestius aperuisset? Qui in libello suo, quem Romae gestis Ecclesiasticis allegavit, parvulus & baptizari in remissionem peccatorum confessus est; & negavit ullum habere originale peccatum.*

XII. Octavam Regulam nobis suppeditat Innocentius PP. Diff. 20. cap. 3. ubi queritur, ad quos recurrendum, cum Sacra Scriptura auctoritas non occurrat? Resp. *De quibus causis nulla solvendi ligandique auctoritas in libris . . . appareat . . . Sanctorum exempla perspicaciter recordare.* Itaque dum ex scriptis Quenellii nihil certi haberi posse videbitur, non aegre, puto, ferent ejus Sequaces, si ad Quenellii facta (nam Virum Sanctum eum appellitant) recurramus. Quapropter necesse erit hic adungere brevem vitam & factorum Quenellii Synopsin; ut ita ad manum sint, quae Lectorem, percipiendis Paschalianae doctrinae mysteriis juvare utumque possunt. Quod illico praestabimus, ubi prius modum agendi Haereticorum, qui ab initio Ecclesiae, ad haec nostra usque tempora extiteret breviter delineaverimus.

XIII. Nona regula loco esse poterit, praxis omnibus haereticis: qui illud Horatianum recte usurpant; *Etas parentum peior avis tulit nos nequiores, progeniem mox daturus vitiosorem:* (4) communis: a qua Quenellium non adhorruisse, nec affectas ejus adhorrere identidem ostendemus. De hac cum plurima dici possent ex SS. PP. Hieronymo praesertim & Augustino, in praesen-

tiarum sufficiat annotasse, quod sic verba temperare solent, sic ordinem vertere, & ambigua quaeque combinare; ut nostram & adversarium confessionem tenere videantur: ut aliter haereticus, aliter catholicus audiat. In suis vero conventiculis, ubi censorem non metuant, liberius meritis suae venena & planius transfundunt.

XIV. Regula decima. Quavis propositio pravum sensum involvens, quamvis & in rectum sensum flecti possit, sine exceptione vel distinctione duplicis sensus, censura configi ac damnari potest. Canonem hunc subministrat Natalis Alexander Hist. Eccl. Saec. 13. & 14. post Differt. 12. Censorii Suffragii part. II. Eum probat I. ex damnatione erroris Floriani & Blati: *Deus est auctor malorum, sub ipsis Apostolorum temporibus.* II. Ex damnatione propositionis Pauli Samosatani: *Christus est coaequus Patri, absoluta, sine ulla sensuum distinctione Saeculo III.* Ex Saeculo IV. producti Colluthi propositionem absolute damnata: *Deus non est auctor malorum.* Saeculo V. notat damnatas esse varias Pelagianorum, Semipelagianorum, Praedestinatorum sententias, absolute & simpliciter: item Eutycheianorum illam: *Una est verbi incarnati natura.* Saeculo VI. damnatio trium Capitulorum idem conficit. Saeculo VII. Monothelitarum damnatio. Saec. VIII. Iconomachorum. Saec. IX. Gortelsbaei. Saec. XI. Berengarii. Saec. XII. Gilberti Porretani. Saec. XIV. Petri Joannis Olivi, Joannis Wicleffi, quorum propositiones, uti & superius annotatae, bonum aliquem sensum habere poterant. & tamen absolute ac sine distinctione damnatae leguntur. Tandem ut cetera omittam, quae in dicto Auctore commodius legi poterant, quam hic transferri, confirmat eum Aphorismum testimonio Geronis Cancellarii Parisiensis, qui Saeculo XV. idem docuit, inquit, *& a sacra Synodo Constantiensi in damnatione articulo Joannis Wicleffi & Joannis Hufe hanc regulam ad praxim revocata observavit: hujusque usum in Parisiensi Universitate perpetuum & constantem, hanc ab erroribus immunitem ac puram praestitisse.*

XV. Porro circa Regulas illas, cum fere omnes vel ex Summorum Pontificum Constitutionibus, vel Augustino desumptae sint, nemo, confido, mihi molestus erit: quamquam Auctor Theol. Suppl. (5) serupulum injiciat, circa decimam desumptam ex Natali Alexandro. *Non est id verum omnino, inquit, quod Natalis Alexander affirmat; eum nempe in Ecclesia morem riguisse semper, ut propositiones accipites, variique sensibus obnoxiae, modo quis pravus subiret eis, absolute, atque simpliciter, nulla adhibita sensuum explicatione damnentur. Immo quandoque in ipsa lata censura, sensuum distinctio, & explicatio a Conciliis & Pontificibus facta est, ut diffensiones & rixae praecaverentur.* Hinc in Concilio Cypolitano II. vox Christi parva, qua Superiorum temporum Patres usi fuerant, ad Mariam Christi Domini Matrem designandam, proscripta tandem est, atque rejecta, eo tamen Maria genuit, non esset Deus: ne praei Ecclesiae Patres rejecti atque proscripti viderentur. Nostraque demum aetate Innocentius X. Arnaldinas de Petro & Paulo propositiones proscriptas: *Sanctus Petrus & S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes . . . sunt duo Ecclesiae Coriphei ac Supremi Duces . . . sunt geminus universalis Ecclesiae vovex . . . sunt duo Ecclesiae Summi Pastores ac Praesides, qui unum*

unum caput constituent: has, genuini sensus explicatione data, ac ipsi etiam decreto intexta, confixit die 24. Januar. 1647. Propositiones has, ita explicatas, ut ponant omnimodam aequalitatem inter S. Petrum & S. Paulum, sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad S. Petrum, in potestate suprema & regimine universalis Ecclesiae, SS. Dominus haereticam censuram & declaravit. Haec Theol. Supplex.

XVI. Verum nihil haec officium Natali Alexandro, aut regulae nostrae. Quippe, non dicit Alexander nullas unquam propositiones damnatas fuisse, addita explicatione sensus in quo damnantur (quomodo id dicere poterat, sciens etiam quintam Jansenianam sub explicatione aliqua damnatam esse) solummodo dicit, propositiones accipites, modo quis pravus sensus subiret, absolute & simpliciter damnari posse: quod utique verum est, & ad oculos ab eo demonstratur Saec. 13. & 14. post Differt. 12. in Censorio Suffragio parte 2. Sic, cum nostri Controversistae, probaturi contra Lutheranos & Calvinistas, non esse juris divini, quod Laici Eucharistiam sumant sub utraque specie, assumunt, ab initio nascentis Ecclesiae sperari Laicos, qui sub una tantum specie communicaverint, non solvitur argumentum, dicendo, reperiri laicos multos initio nascentis Ecclesiae sub utraque specie communicasse: (1) ita nec Alexandri Argumentum solvitur, dicendo, aliquando fuisse explicationem ipsi propositionum damnationi insertam. Et ratio utroque eadem est: eo quod in utroque casu argumentum fundatur in eo, quod se fuerit olim praedicatum seipsum; non autem in eo, quod nunquam fuerit factum aliter. Etque Alexandri argumentum tanto fortius, quanto plures inveniuntur propositiones damnatae sine explicatione ulla; paucissima vero cum explicatione. Ad has itaque Regulas, tamen si propositionum venenum ex ipsis earumdem terminis, vel ex connexione unius cum altera satis patulum sit, aliquoties, majoris gratia claritatis recurremus. Et quia ex dictis Regulae patet, plurimum referre ut Auctorem intus, & in cute nostram, subnectimus vitam & gestorum ejus breviculum: ex articulis per varios Lovanienis Academiae Doctores & Juristas discussis & examinatis, ex solemi ab Archiepiscopo Mechliniensi contra Quenellium prolata sententia, denique ex Vita Clementis XI. variis locis compactum.

§. II.

Synopsis Vitae, gestorumque Paschalis Quenellii.

XVII. Paschalis Quenellus natus Parisiis 14. Julii Anno 1634. Oratorium Gallicanum, cui ab Eminentiissimo Fundatore Berullo Cardinali nomen est, ingreditur 1657. Opera S. Leonis Papae adjectis Scholiis, & dissertationibus edidit Anno 1675. illo in opere quid animo meditaretur non obscure indicavit. Siquidem, ut observatum fuit Eximio Christiano Lupo Docto, Lovanien. Ordinis M. P. Augustini, in Opere de Appellationibus, Quenellus Marcum Antonium de Dominis, & Joannem Calvinum imitatur. SS. PP. Leonem, Cyprianum, Augustinum calumniatur. S. Prosperum male studet Sancti Leonis seductorem demonstrare. Eusebianorum turbidas potat aquas &c. Haec Christianus Lupus de Quenelliana doctrina ovo, de dissertationibus, inquam, Quenellianis in Opera S. Leonis: quae Romae 22. Junii 1676. proscriptae sunt. Quis e tali ovo bonum expectet.

pullum? Decretum Romanum 27. Julii affixum publice, montem terigit, qui illico fumum tererimum exhalavit. Apologium libri qui edidit Quenellus, in quo Decretum Romanum, velut libellum famosum, legi Dei, bonisque moribus contrarium tradidit. Papam directe impetere formidans, indirecte impetit, afferendo, Congregationem, a qua Decretum emanavit, non posse appellari Sacram; non esse institutam a Sede Apostolica: Decretum continere falsa, imposturas, schismatica, spiritum cabale, & ad Diabolum &c. Scilicet, Decretum negat a Sede Apostolica prodidisse, ut liberius in illud liceat debacchari; imitatus in hoc Lutheri astutiam, qui in assertionem articulorum a Leone X. damnatorum simulat se non credere, Bullam dampnantem articulos a Papa prodidisse: (2) Quamquam, inquit, abunde satis prioribus libellis meis rationem reddiderim, de articulis illis, novissima Legum Decimi (UT VEL FINGITUR, VEL FERTUR) Bulla damnatis; & ipsi QUICUMQUE AUTHORES EJUS FUERINT sua damnationis praesens nullam causam reddiderint; ne jura quidem e Sacris Scripturis adducto &c. Nemo tamen unquam dubitavit unquam, quin formata Lutheri contra Bullam illam, in ipsum reciderint Pontificem Leonem; ejus nutu & approbatione constabat editam Bullam. Sic ergo nec Quenello prodest quidquam vulpina illa astutia; quin omnia quae in Decretum conjecit formata, ejus erga Summum Pontificem, sepe Christi in terris Vicarium averfionem ac odium indicent. Et quamquam saepius in damnato opere fateri videatur, credere se Primatum Papae supra universam Ecclesiam (hoc enim aperte negare, erat haereticum publice incurrere) ita tamen scribit, ut laudatus Christianus Lupus afferere non dubitaverit: (3) *Certe opinabor, quod si Paschalis Quenellus ipsum Primatum non credit.*

XVIII. Anno 1698. Mense Septembris Comitia Oratorii habita fuere. In his, inter alia, die 26. ejusdem Mensis statutum, Congregationem non prohibere, nisi, ne tradantur Doctrinae ab Ecclesia damnatae: aut quae possent esse suspectae de sensibus Jansenii, & Baii, quoad Theologiam. Formula deinde de doctrina, quae tradi posset, quae rejici deberet, Patrum auctoritate concepta: quae jubente Rege Ludovico XIV., aditente Archiepiscopo, de mandato Congregationis ad omnes domos Oratorii transmissa, ut eidem omnes subscriberent. Vetabat ea formula aliquid propugnare, quod Summi Pontifices damnassent in libro Jansenii, aut antea in Bajo. Sincere prohibet, ait P. Thorentier Assistentis illius Congregationis, ne doceatur Jansenismus damnatus a Summis Pontificibus, ab Episcopis, ab Universitatibus, a communitatibus; ab ipsa Auctoritate, a quo nomen desinit. Quid de hac formula Quenellus senserit, quamquam ab illo tempore affectus fuerit doctrinis damnatis ab Ecclesia universa, declarant verba ejus sequentia. Formula illa me profecto suffragatorum habere nunquam potuit. Unde eidem calculum suum adicere noluit, etsi specialiter de hoc rogatus a P. Behier, ita eidem scribente (prout vertit Auctor Synopsis Vitae Paschalis Quenellii, edita Venetiis 1720. cum Opusculo Reverendissimi P. M. Van. Rant in damnatas, quamvis hic illius Synopsi Auctor non sit): *Te, R. P. obtestor per amorem, quo semper congregationem profectus es, ne ejusdem testimonium ei deneges in hac occasione; & ne inferas nostris RR. PP., qui te magis faciunt & diligunt, dolorem in videndo te unicum fuisse qui se se submittere recusaverit. Sed surdo cane- bat Pater Behier. Quenellus formulae se subijce-*

(1) De nat. & grat. cap. 53. (2) De grat. Christi cap. 26. (3) De grat. Christi. (4) Lib. 3. Carm. Ode. 6. (5) Pag. 24.

(1) V. Trid. Sess. 21. cap. 2. (2) In proemio. (3) Pag. 785. Op. cit.

te recusavit; imo cepit eandem conviciis impetere, in scripto cui initium: *Le non du Roy &c.* Irena Epistola quadam: *Nihil boni*, inquit, *expedandum erat ex operandi processu adeo extraneis me mirandum fuit, cum in hac scripto tot res reperire sunt rationi, veritati, ac bono regimini adversantes.* Et iterum: *Dum articuli horum statutorum, concernentes Doctrinam & pacem Ecclesie minutatim expenduntur: tot ibi res inveniuntur utriusque praejudicantes, ut suspensum sit, homines mente aliquam lucidissima praeditos, sibi persuadere, posse eadem, salvo conscientia, subscribi.*

XIX. Cum preces nihil proficerent, ventum est ad castigationes. *Primum*; ita de se narrat Quenellus; *Domo Parisiensi abire jussus, Aveliam ad Ligevim seculare compulsus sum.* Anno 1681. Parisiis triennialia Congregationis Comitia sunt habitata. In iis prolata sunt Regia mandata, quibus iussi sunt omnes proprio chirographo Formulam munire, ejusque Doctrinam ex professo amplecti. Edictum per Provincias missum est, mandata Visitationibus data illud exequendi. Omnes ad eam necessitatem adducti sunt, ut vel obtemperarent, vel, tamquam Regis iussis inobedientes & rebelles a Congregatione pellendi, ad extremos regni limites ablegarentur; aut pejus aliquid experirentur. *Ut utriusque necessitati (subscribendi formulae, aut Regiam indignationem experendi) me, scribit Quenellus, subducerem, meum amicorumque consilium fuit.* Quenellus suis & amicorumque consiliis auscultans: *Aurelia velata 8. Feb. hora post meridiem circiter secunda Carnutum venit, ait, die Sabbati: inde Feria 2. iter Parisios arripui, illuc adveni postmidie; ubi dies quatuor commoratus die Sabbati 17. Febr. carissimam Patriam relinquens, & viam Belgii ingressus, per novem dies itinere confecto, Bruxellas attingi, die Dominica Sexagesima, Febr. 25. 1685. quo pariter perveni carissimus Frater meus die Dominico subsequente 4. Martii. Ecce quantum adamabam doctrinam Janseii & Baji! Ne ei cogereur dicere vale; maluit carissimam Patriam deserere.*

XX. Inveni Bruxellis D. Arnaldum, alterum factionis Janseianae coryphaeam, eandemque ob causam a Gallia, ab Anno 1679. Mense Junio profugum. Eidem Socium se adjuvit, in humili domuncula, inque abdita platea: ibi, sic privatam vitam instituit, ait alibi, *ut a solito hominum commercio segregatus, locum vix paucis amicis notum, paucioribus peripatrum hactenus incolerim.* Quinquennio latitarunt in illis latebrisambo; donec Mense Aprilis 1690. de ipsis innotuit Marchioni de Castanaga Belgii pro Hispaniarum Rege Gubernatori; cujus mandato, Belgio iussi sunt excedere. Igitur e Belgio in Hollandiam, commune omnium haereticorum azylum se recipiunt; a DD. Van Hueste Lugduni Batavorum & Van Erckel, utroque Janseianis fautore, humaniter quidem accepti; sed timore eos invadente, haud diu retenti. Itaque consilio amicorum in ditionem Leodiensem invadunt. Ibi se parum tutos ut animadverterent, rursus Bruxellas redeunt, integro quadriennio pedem adicula sua non extulerunt. Arnaldus Anno 1694. 8. Augusti vivere desit, quadrante post duodecimam nocturnam; postquam exstantium Sacramenta ei pridie, propria auctoritate ministrasset Quenellus. Tandem agente Illustrissimo Humberto Guilielmo A Precipiano Mechliniensis Archiepiscopo, ac manum adiutricem porrigit Marchione de Bedmar Belgii Gubernatore, captus est Quenellus Bruxellis, una cum D. Gabriele Gerberon ac D. Arnaldo Josepho de Brigode, 5. Maii, Fer. 4. post Festa Pentecostiae Anno 1703. inque cubiculo Palatii Archiepisc. Bruxellis sequestratus. De hac captura ita

scribit Quenellus: *Mibi aderat omnis facilitas possibilibus evadendi eorum manus, qui ad me comprehendendum veniebant, & se ipsa evaseram provipiendo me ex hospicio; sed Deus me retraxit, & ipsemet, ut ita dixerim, me coniecit in manus eorum.* Simul cum Quenello ad Palatium Archiepiscopale translata sunt omnia scripta ejusdem; ex quibus, sicut & ex aliis, varia manifeste probata sunt, quae maxime conducunt ad rem, qua dein praesenti agimus.

XXI. Postquam Quenelli amici innotuit quo loco reclusus esset, flagitioso attentato, perfracto ac perforato loci pariete, nocte inter 11. & 12. Septembris evadendi occasione ei praebuerit. Citatus tamen fuit ab Archiep. Mechliniensis ad causam dicendam, respondendumque ad articulos, et ab Officiali curiae Archiepiscopalis objectos & obijciendos. Affixum Decretum citatorium, cum articulis, de quibus legitime accusabatur, die 13. Febr. 1704. Cumque elapso debito tempore, citationibusque necessariis praemissis non comparuisset, processum est ad Sententiam die 10. Novembris ejusdem Anni 1704. In litis contestatione, primumque, velut in contumacem & comparere nolentem, sententia ferretur, legitime contra eum probata sunt puncta sequentia.

1. Quod Quenellus admonitus, rogatus, ac instanter pressus a sui Ordinis Superioribus, ut subscriberet formulae, seu statuto suae Congregationis contra damnatam Baji ac Janseii doctrinam, obtinere renuerit.
2. Quod ideo contumax discesserit ex Gallia, in Belgium Anno 1685.
3. Quod in variis Belgii Civitatibus, & potissimum Bruxellis latitaverit sub diversis nominibus fictis.
4. Ibidem intime conjunctus fuerit Antonio Arnaldo, cui defuncto successit in praefectura, & regimine totius Sectae.
5. Quod illa Secta seu factio late per Galliam, & Belgium & Hollandiam sit diffusa, & a factiosis appellatur Ordo; completens Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hospitia, Eremos; consistens Secularibus & Regularibus, Laicis & Ecclesiasticis, Viris & Feminis.
6. Quod dictus Quenellus varias instituerit Visitationes illius Ordinis, exigens a praecipuis ut ad ipsum referrent quidquid promovendo ordini isti conducere videretur; atque ad eum effectum procuraverit collectas, seu contributiones pecuniarias, quibus procuratores negotiorum illius ordinis possent causam suam Romae, Madridi, Parisiis, & alibi sustinere.
7. Quod in literis usus fuerit fictis nominibus.
8. Quod tam scripserit, quam ab intimis suis receperit litteras Regi nostro Catholico & Regi Christianissimo, & praecipuis utriusque Regis Ministris; atque etiam Summis Pontificibus, Cardinalibus & Episcopis non paucis graviter obreclantes ac injurias; quodque illos a quibus tales litteras frequenter recipiebat, perrexerit colere; tamquam amicos & charos.
9. Quod Montensis Oratorii Presbyteros a subscribenda praememorata formula suae Congregationis dehortatus fuerit.
10. Quod multa opuscula composuerit, ac edenda curaverit, quibus haesim Janseianam, praesertim prima & quinta propositionum inter famosas quinque, sustinere & asserere conatus est.

11. Quod Semipelagianos censuerit quoscumque tenentes Christum pro omnibus hominibus mortuum; & gratiam necessariam cunctis hominibus datam vel paratam.
12. Quod omnem gratiam sufficientem, quae non fit per se efficax, scurriliter & impie deriderit, tamquam jultis inutilem & peccatoribus damnosam.
13. Quod Janseianum contenderit merum esse phantasma.
14. Quod in causa Janseii Summis Pontificibus Urbano VIII. Innocentio X. & Clementi XI. obreptum esse, & Bullis ac Brevibus eorum, aliquid praeter ipsorum mentem insertum esse, sapius effutierit.
15. Quod censuerit perjurium & Sacrilegium esse subscribere Formulam Alex. VII. in eum sensum, ut damnetur doctrina Janseii, quem Ecclesiae Magistrum appellat.
16. Quod excitaverit omnes ad sustinendam veritatem, ut vocat, causam Janseianam.
17. Quod contenderit non fuisse a Sancta Sede examinatum, id quod vocant *Factum Janseii*.
18. Quod asseruerit discipulis, ut vocat, S. Augustini nunquam submissuros se fuisse Constitutioni Innocentii X. si putassent sensum Janseii in ea esse damnatum.
19. Quod post Decretum & Brevia Innocentii XII. asseruerit, obvium sensum Formularii Alexandri VII. non requirere, ut Janseianae propositiones quinque abjurerentur in sensu auctoris earum.
20. Quod susceperit causam 40. Doctorum Pacificorum circa famosum *Casum Conscientiae*.
21. Quod paraverit impressionem omnium hactenus editorum in causa Janseii.
22. Quod concurrens ad impressionem Historiae Congregationum de Auxiliis, nullam habentis approbationem Censoris Ordinarii, neglecto mandato Consilii Ordinarii, & neglecto mandato Consilii Brabantiae. (Circa hunc articulum nota, quod in sententia Archiepiscopi Mechliniensis contra Quenellum dicitur, concurrere ad illam impressionem, in hoc oppido (Bruxellis) factam, sine ulla approbatione Censoris Ordinarii, & non expectata censura nostra; ad quam tamen per Apostolicam datam in Supremo Consilio Brabantiae fuerat remissa. Unde peccavit hic Quenellus, tum contra instructiones Clementis VIII. auctoritate Regulis Iudicis librorum prohibitorum adjectas, Cap. de impressione librorum §. iv. & simul contra mandatum ei impostum a Consilio Brabantiae: ac propterea hic culpatur: utique culpandus etiam aut Thomam a Kempis, aut exercitia S. Ignatii tali modo curasset imprimi.)
23. Quod impugnaverit Decretum Alexandri VIII. de 31. propositionibus, quarum multas asseruit esse veras, & injuste damnatas.
24. Quod asseruerit, quoddam Baili propositiones damnatas, continere germanam Sancti Augustini sententiam.
25. Quod Decretum Sacrae Congregationis Iudicis, contra ejus notas, fuit dissertationes in opera S. Leonis Papae, acerbè impugnaverit, & vilissime traduxerit.
26. Quod pia Opuscula P. Gerberon, quae per Apostolicam Sedem fuerunt condemnata, in mente laudaverit, ac signanter novam editionem operum Baili.
27. Quod subministraverit materiam dicto P. Gerberon ad componendam varia ejus opuscula contra.
28. Quod dogma Immaculae Conceptionis Jerj. Tom. V.

29. Quod damnatam sententiam, De gemino capite Ecclesiae sustinuerit.
30. Quod Antonium Arnaldum injuste a Parisiensi facultate damnatum asseruerit.
31. Quod promiscuum Sacrae Scripturae Lectionem commendaverit, & regulam quartam Indicis expleret.
32. Quod consensum in delectationes inhonestas & morosas, etiam diuturnas docuerit non esse, in amantibus castitatem, peccatum mortale: (nisi adfit consensus in opus externum) saltem illud esse moraliter impossibile.
33. Quod Theologicas Facultates, Parisiensem, Lovaniensem & Duacensem, indigne contempserit.
34. Quod vaticinatus sit eversionem Status & Regnorum, propter injustam, ut ait, persecutionem in Janseianis.
35. Quod seditioso scripto Clerum Hollandiae incitaverit ad non obediendum Decretis moderati (Clementis XI.) Pontificis: & ad sese contra ea tuendos auctoritate Magistratus Acatolici.
36. Quod effreni licentia scribendi, magnas in Belgio Catholico turbas excitaverit, Clerum & populum adversus Episcopos commovendo.
37. Ita censemus: (scilicet haec puncta legitime probata esse) Bruxellis 27. Septemb. 1704.

Franciscus Martinus S. Theol. Doctor, & Regius Professor ac Regens.
Antonius Parmentier S. Theol. Doctor, & Professor Ordinarius ac Regens.

Infrascripti super praemissis 36. articulis illis a D. Procuratore Officii Curiae Spiritualis Mechliniensis adversus D. Paschasium Quenellum Congregat. Oratorii Berulliani Presbyterum, servato juris Ordine legitime productis, ac probatis, iudicium nostrum dare requisiti, in favorem iustitiae & veritatis, iidem articulis mature perpenis, sub correctione, censemus, quod praefatus Paschasius Quenellus, notorie sit Bajanismi & Janseianismi reus ac fautor, Haesumque ac propositionum, a Sede Apostolica identidem damnatarum contumax & pertinax propugnator, zizaniorum in agro Dominico disseminator, Ecclesiae Catholicae perturbator, turpissimum schismatis, factionis ac seditionis caput, & quantum in ipso est, auctor: Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, nec non Regibus ac Principibus inobediens, irreverens, injuriosus & rebellis: spurcitarum jam pridem condemnati Michaelis Molinos instaurator, excommunicationi majori sententiae latae, alisque censuris ac punis per Indictam Concilii Tridentini & Summos Pontifices fulminatis obnoxius; Ecclesiae Dei ac Republicae perniciosus, atque adeo per utramque supremam potestatem condigne ac publice in aliorum terrorem & exemplum puniendus.

C. G. Dalman S. Theol. Doctor & Regius Professor ac Regens
Hermanus Damen S. Theol. Doctor & Professor Regens, Decanus S. Petri Lovanii, Librorum Censor.
L. F. de Le Luz S. Theol. Doctor & Professor Regens.

„ Approbo iudicium supra scriptum . . . in
„ fidem signo Lovanii in Festo S. Petri de Al-
„ cantara 1704.

Petrus Marcellus S. Theol. Doctor & Profes-
sor, Apostolicus ac Regius Librorum Censor
per Germ. inferiorem.

XXII. Visis horum, aliorumque Virorum qua-
lificationum, super praemissis articulis, quo in re
tanti momenti securius, majorique cum cautela,
ac minori cum invidia procederetur, iudicium,
re non comparante, prolatum est solemne con-
tra eundem Decretum, seu iudicium sententia, ut
sequitur.

HUMBERTUS GUILIELMUS

A P R E C I P I A N O.

Dei & Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Mo-
chelinensis, Primas Belgii, ad exercitum Regis
Delegatus Apostolicus, sua Majestatis a Consi-
liis Status &c.

„ I N causa Officii coram nobis mota, & inde-
„ cisa pendente, inter Procuratorem ejusdem
„ Officii Aclorem ex una, & P. Paschalem
„ Quessel Parisinum, Oratorii Nominis Jesu in
„ Gallia Presbyterum, non ita pridem in Palatio
„ nostro Archiepiscopali, jussu nostro sequestra-
„ tum, & postmodum, violata sequestratione,
„ per iteratas litteras Edictales, cum debito in-
„ tervallo, publice in locis consuetis affixas, &
„ in scutula reproductas, respective 17. Martii &
„ 14. Aprilis, hujus anni 1704., citatum, sed
„ non comparentem, ac contumacem, ex altera
„ partibus. Visis ejusdem causa actis & actibus,
„ notanter etiam reculatione pro parte citati,
„ contra Nos, Judicem Ordinarium proposita;
„ quam uti notorie revolvam rejecimus, prout ad-
„ huc rejecimus; omnibusque mature examina-
„ tis, & perpenis, praesertim Decreto nostro 9.
„ Junii novissimi dato, quo Aclorem pro utili-
„ tate trium contumaciarum ad probandum ad-
„ mitemus; & probationibus, quas in vim ejus-
„ dem Decreti produxit, de plurium Ecclesiae no-
„ strae Metropolitanae Dominorum Capitularium,
„ & aliorum Sacrae Theologiae Doctorum & Li-
„ centiarum, uti & Jurisperitorum consilio,
„ & assensu, Christi Nomine invocato, & nihil
„ nisi iustitiam praeculis habentes, dicimus, de-
„ cernimus & declaramus, ex iisdem Actis & pro-
„ bationibus constare, eundem Citatum tenuisse
„ SIMPLICITER (licet admoneretur, rogase-
„ tur, ac instantur ad hoc premeretur a Superio-
„ ribus suis) formulae Doctrinae, praescriptae in
„ Comitibus Generalibus praefati Oratorii Gallici
„ subscribere; idque ea praecipue de causa, quod
„ formula ista contineret damnationem Doctrinae
„ Jansenii & Baii: quam contumaciam adversus
„ superiores suos ne deponeret, ex Gallia profu-
„ gus, ab anno 1688. in Belgio, variis in locis,
„ sed potissimum in hoc Oppido Bruxellensi, sub
„ fidei nominibus laetavit, & ex latebris suis
„ contumaciae suae malum ulterius communica-
„ vit, varia edendo, & publicando opuscula,
„ quibus haesim Jansenianam non obscure sustinuit;
„ idque ea continuatione audacia, ut asseruerit,
„ quod Summis Pontificibus, in Causa Jansenii
„ fuisset obreptum; & aliquid praeter mentem
„ Pontificiam, Bullae Urbani VIII. insertum:
„ simul & indigno modo scribendo de Summis

„ Pontificibus, & male perstringendo S. R. E.
„ Cardinales, Episcopos, aliosque Ecclesiae Mi-
„ nistros, & Viros dignitate, ac doctrina exi-
„ mios: neque ab obsecrationibus adversus Re-
„ ges, neque a contumeliis erga Regios Mini-
„ stros abstinendo. Insuper pertinaciam suam pro-
„ didit asserendo inter alia, Jansenismum non esse
„ nisi phantasma; faciendo notas multum injurias
„ & contumeliosas Decreto S. Congregationis Indi-
„ cis lato 22. Junii 1676. quo prohibebantur dif-
„ fertationes ipsius ad S. Leonis opera; appro-
„ bando & laudando plura opera Domini Gabrie-
„ lis Geberon, quae a Sede Apostolica deinde fue-
„ runt reprobata; uti novam operum Baii edi-
„ tionem, & Historiam Jansenii; suscipiendo
„ quoque causam quadraginta Doctorum Parisien-
„ sium, circa famosum Casum Conscientiae; con-
„ currendo ad impressionem in hoc Oppido fa-
„ ctam Historiae Congregationum de Auxiliis,
„ sine ulla approbatione Censoris Ordinarii, & non
„ expectata censura nostra, ad quam tamen per A-
„ postillam datam in Supremo Consilio Brabantiae
„ fuerat remissa. (1) His accedit quod plura et-
„ iam scripserit, quibus Oratorii Montensis Pres-
„ byteros, Oratorio Gallico subiectos, a subscri-
„ ptione praememoratae formulae averteret: &
„ quod inter scripta ejus inventum etiam fuerit
„ aliquid, manu ejus exaratum, complectens 33.
„ paginas in folio, quod huic praefert titulum:
„ L. Inquisition &c. in quo quidam Senatus Re-
„ gius indigne excipitur, sicut & Magistratus
„ Montensis, seu aliqui ex illo acerbe traducuntur,
„ per ejus libellum, manu tortoris combu-
„ stum, cui titulus: Remonstrance justificatives pour
„ les Peres de l'Oratoire de Mons. Praeterea asse-
„ ruit, Citatus, non fuisse a S. Sede examina-
„ tum illud, quod vocant Factum Jansenii; &
„ scripsit, nondum tempus advenisse reddendi iusti-
„ tiam Jansenio debitam, ac reparandi injuriam ipsi
„ illatam; addendo quod si Discipuli S. Augu-
„ stini existimasset quod sensus Jansenii esset
„ condemnatus per Innocentii X. Bullam, eidem
„ sese non submisissent. Quantum autem ad Ba-
„ janas propositiones, sustinuit inter illas aliquas
„ esse, quae continent genuinam S. Augustini Do-
„ ctrinam: Propositionem vero quae spectat infide-
„ lium actiones, esse praesertim illam quae pro aliis sus-
„ tineri posset, quaeque esset adeo in S. Augustino,
„ ejusque discipulis fundata, ut existimandum non
„ sit, S. Sedem illam erroris damnare voluisse: sed
„ tantum prohibuisse ne tunc temporis defenderetur
„ propter rationes tunc, non nunc militantes. Ulte-
„ rius patet ipsum post Breve & Decretum In-
„ nocentii XII. Anno 1694. editum pertinaciter
„ contendisse, sensum obivium formularii non re-
„ quirere, ut quinque propositiones (Jansenii)
„ damnentur in sensu ab Auctore intento, edendo
„ istum in finem seu publicam & communem
„ explicationem, in qua affirmat, quod per for-
„ mularii subscriptionem non subscribitur condem-
„ nationi libri Jansenii. Impugnavit quoque scri-
„ ptis suis Decretum Alexandri VIII. in 31.
„ propositiones latum; & dogma Immaculatae
„ Conceptionis Deiparae Virginis numeravit inter
„ opiniones novas & contrarias veritati Scriptura-
„ rum, inferentisque perniciosam sequelam: atque
„ damnatam sententiam De gemino Capite Eccle-
„ siae, satis aperte sustinuit: Ac decreta Sacra-
„ rum Congregationum, quibus libri quidam
„ proscribebantur, audacter fugillavit & redar-
„ guit. Plura edidit scripta anonyma, & Au-
„ ctorem, Typographum & locum impressionis di-
„ mententia, eaque imprimi, reimprimi & di-
„ strahi curavit; Et inter illa etiam quaedam a
„ Sede Apostolica publicis Decretis antea condem-
„ nata. Oratorium domesticum erexit propria aucto-
„ ritate, pro libitu in eo Sacrum dicens. Cum vari-
„ is personis noxium litterarum commercium
„ fovit sub fidei nominibus. Denique per esse-
„ rem suam scribendi licentiam magnas in hoc
„ Belgio, ac in nostra Dioecesi turbas excitavit,
„ & diffensiones; & non raro clerum & popu-
„ lum adversus proprios suos commovit Episco-
„ pos; Ac praecipue scripto quodam insolentis pleno
„ clerum Batavicum contra Sanctissimi D. N. Cle-
„ mentis XI. Decreta sedizioso incitavit. Quibus
„ omnibus consideratis declaramus, Citatum, Viti
„ de Jansenismo & Bajanismo, aliisque excessibus
„ supra memoratis convictum, incidisse in excommu-
„ nicationem, aliasque penas per Bullas Aposto-
„ licas in hujusmodi delinquentes latas; Momentes
„ omnes & singulos Christi fideles, ut ipsum uti-
„ talem habeant, & evitent: injungentes Cita-
„ to, ut se recipiat ad Monasterium aliquod,
„ in patria catholica situm, ibidemque per inter-
„ gram, ab adventu suo, mensum exercitia spiri-
„ tualia obeat; ac dein in spiritu poenitentiae
„ ibidem sequestratus maneat, legendo singulis
„ diebus septem psalmos poenitentiales; ac jeju-
„ nando diebus Veneris in aqua tristitia, & pane
„ doloris, donec Summo Pontifici, quo ad
„ doctrinam suam fecerit satis, ac absolutionem
„ ab excommunicatione obtinuerit. Insuper inhi-
„ bemus ei, ne ad Dioecesim nostram unquam
„ revertatur; minus in eadem aliquid scribat,
„ edat, aut imprimi faciat sine pravia nostra li-
„ centia; vel similes excessus committat sub poe-
„ na, quod perpetuis carceribus mancipabitur,
„ aliisque poenis gravioribus in jure contra ha-
„ jusmodi transgressores statutis punietur; Con-
„ demnantes ipsum in expensis sequestrationis &
„ contumaciae ad Nostram taxam. Ita in his
„ scriptis sententiamus. Datum Bruxellis in Pa-
„ latio nostro Archi-Episcopali die 10. Novem-
„ bris 1704. Et erat signatum H. G. Archi-
„ episcopus Mechliniensis. Et ad latus appo-
„ situm erat Signillum praefati Illustrissimi ac Re-
„ verendissimi D. Archi-Episcopi in hostia ru-
„ bra.

„ insuper & observationes continentem, habentes qui-
„ dem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus obnoxi-
„ dam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt
„ doctrinae & propositiones seditiose, temerariae, per-
„ niciose, erroneae, alias damnatae, & Jansenianam
„ haesim manifeste sapientes.

XXIV. Non deerrant, tamen, qui velut nullo
foedatum errore librum commendarent aliis, le-
gendumque importune obtruderent: quapropter
solicitatione saepius Clemens XI. ut gliscienti malo
validiori remedio occurreret. Pontifex in rem
Catholicam futurum censens fallacis operis vene-
na detegere; singillatim errores proferbere, ac
nova Constitutione damnare statuit: praesertim
quod hoc unicum sedandarum motuum remedium
esse censerent, tum Galliarum Episcopi, tum
Rex ipse Ludovicus XIV. Post diligentissimum
integro biennio continuatum damnandarum asser-
tionum examen, sexto idus Septembris 1713.
centum & unam sententias, ex dicto libro excer-
ptas damnavit, edita Constitutione (2) Unigeni-
tus Dei filius &c. Propositionum quibus dica fue-
rat scripta, cavere ante sententiam non est factus
Paschasius, ut optabat, poscebatque, ne consensum
Ecclesiae mutaretur; quo, ubi de vulgatis damnandis
voluminibus, atque doctrinis agitur, in iudicii
partes auctores ipsos vocare minime consuevit. Vocas-
set autem, ubi vox fuisset irroganda persona.

XXV. Mistam a Pontifice in Gallias Consti-
tutionem, Ludovicus Rex Parisiis promulgari
imperavit, nullisque non obsequii ac reverentiae
argumentis Rex idem, Galliarum Clerus & popu-
li sunt complexi. (3) Ipse Cardinalis de Noail-
les, ubi edita in Urbe Sanctionis factus est cer-
tior, debito eidem prolatum obsequio, testimo-
nium, quo pridem damnatum Opus probaverat,
revocavit, ejusque lectionem vetuit: in suo de
28. Septembris 1713. Decreto asserens, non po-
tuisse se diutius ferre, nomen suum in fronte
damnati operis apparere; probationemque suam
operi prohibito adimi iussit.

XXVI. In Comitibus deinde Archiepiscoporum,
ac Episcoporum Galliae, pro solemni ejusdem
Constitutionis acceptance congregatis, ac finitis
Januario exeunte mense 1714., quadraginta Ar-
chiepiscopi & Episcopi, quos inter Cardinalis de
Rohan; Constitutionem solemnitè acceptantem,
paucis tergiverfantibus; quibus postea septem alii
accesserunt, adeo ut universi vix decimum sex-
tum numerum impleverint: acceptantibus reli-
quis; ut ita hi centesimum numerum excefferint.
(4) Illud porro observandum, ex tergiverfantibus
Macloviensem in Decreto suo 1. Martii 1714.
edito asserere, Librum istum favore opinionibus,
decisionibus Ecclesiae repugnantibus: Virdunae-
sem in ordinatione 10. Martii 1714. edita, expre-
sse dicere, se in eodem libro reperisse complures
propositiones tendentes ad fideles in errorem in-
ducendos, praesertim circa quinque propositiones li-
bri Jansenii. Similia agnoverunt alii Catalaunen-
sis, Laugunensis, Altiifiodorensis, Bajonensis,
Bononiensis in suis instrumentis discessionis, a
reliquis Episcopis Parisiis, ut dictum fuit, con-
gregatis; in quibus profitentur se esse remotissi-
mos a suscipiendo libri observationum vel Au-
ctoris patrocinio: agnoscere se librum illum fi-
delium manibus esse eripiendum: sibi fixum esse
illum damnare, atque in suis Dioecesibus illius
lectionem interdiceret. Obstituros se semper Jan-
senii progressibus eo zelo, eaque animi firmi-
tate, quam sua dignitas exigit: nihilque se
omissuros quo teneantur & executioni mandari ju-
beant.

(1) Vita Clemen. XI. l. 3. n. 31. (2) Vita Clemen. XI. l. 4. n. 36. (3) Ibid. n. 37. (4) Ibid. n. 37. & 38.

(1) Vide notam ad art. 22. praeced.

beant in omni suo robore Constitutiones Innocentii X. Alexandri VII. Clementis XI. (1) (*Vincam Domini Sabarh*) contra hæresim Jansenii editas &c. Ut proinde pro orthodoxa Quæsnelliani operis, ne ex his quidem cunctantibus Episcopis quidquam habeatur. Cumque ab aliis omnibus totius Universi Episcopis absque ulla hæsitatione rejectam fuerit; manifestum sit ab universo Christiano Orbe proscriptum fuisse. At Quod semel placuit, amplius displicere non potest. (2)

XXVII. Quid hic ager Sorbona? Adhærebit suo Archiepiscopo? (3) Sic quidam summa confidentia discabant. Contra tamen res accidit. Sedatis quippe turbis, quas Jansenii & Quæsnelli doctrinæ studiosi excitaverant, conlatique suffragiis, major, saniorque Academiæ pars, qua decuit in Apostolicam Sedem veneratione, & obedientia susceperit: in regesta cum regia Epistola retulit; mandavitque universis, ut debito illam prosequentes obsequio, nemo scriptis, aut voce auderet impetere; qui fecus ageret, omnibus Academiæ honoribus extemplo exutus haberetur. Paucorum tamen Episcoporum pravum exemplum, Quæsnellianis audaciam addidit. In initio Clementis Constitutionem obsecram, ancipitem, fallacem notare, postea flocci pendere, ad extremum etiam temere despiciari. Sanam esse Quæsnelli mentem: doctrinis probis Apostolicam Sanctionem notas inurere: bona malis aggerere; altera ab alteris perspicua explicatione discernenda.

XXVIII. Longius indies progressa licentia, corruptas Quæsnellianorum mentes & voluntates clarius detexit. (4) Quam autem ipsi non clam, sed palam ineluctabili Pontificis auctoritati audacter obstitent, vanis hæreticorum proficiens ausibus Ecclesia Christi, tot libros, qua divinorum voluminum testimonio, & SS. Patrum assertis, qua Ecclesiasticæ disciplinæ monumentis, & argumentorum pondere referretur atque vallatos pro Constitutione *Unigenitus* iotra paucorum annorum spatium adspexit, ut non parum illi ad eruditionem, atque doctrinam (quod bonum Ecclesiæ ex hæresibus accedere notavit Augustinus) aliena malitia profuisse videatur. (5) Conduxit etiam ad decorem. Enimvero, dum pauci in Gallis Pontifici injurii, edito ipsius decreto refragantur, in Hispaniis contra, Lusitania, Belgio, Germania, Italia, toto denique terrarum Orbe Episcopi, illustres Academie, doctissimorum Virorum consensus tanta veneratione receperunt, ut nihil supra in tota retro antiquitate reperire sit.

XXIX. De inexcusable ratione restituendi Gallicanæ Ecclesiæ pristinam tranquillitatem agitata consilia, intempertiva Regis Ludovici XIV. mors turbavit. (6) Calendis Septembribus 1715. vita decessit. Ingens quidem jactura, quam Ludovici morte in Galliarum præsertim Regno catholica fides subiit, vix dum extincti Regis humato corpore patuit. Longum foret omnia quæ deinceps secuta sunt scandala recensere; nec proposito nostro id congruit, qui historiam Constitutionis *Unigenitus* scribere non intendimus. Sufficiet aliqua, ad rem nostram facientia attingisse. Qui Quæsnellianis adhærebant partibus, caput erigere, omnia sua deque vertere: tum etiam ad agenda diffidia, gregales quarere. (7) Neque deerant factiosos hominibus instructæ ad seditionem, & turbas artes. Clementina in Quæsnellum Constitutione nulla catholice, atque divinæ veritatis

asserta notari criminabantur. Oportere declarationes saltem edere, quibus dilucida sententia fieret, atque in tuto poneretur veritas. Ambiguo, obscuro, fallaci; ajebant refractari; Pontificis diplomate in apertum adducta discrimen, nutare certissima Religionis dogmata. Oppugnatas denique corrumpere Theologicarum Scholarum Principum illustres sententias, quas Doctores, & antiquitate venerandas, Ecclesiæ utilissimas ad hæreticorum convellendos errores est experta, nec unquam sanæ Fidei noxias. Similia novis tibiis Theol. Suppl. decantat. (8) Paulo clarius rem repetamus ex Vitæ Clementis XI. n. 37. nusquam nimis repetendo.

XXX. „ E tot confixis Quæsnelli pronuntia-
tis, nonnulla, quæ ad divinam gratiam perti-
nent, notissimum Jansenii sensu proscriptis, qui
Dei gratiam necessitantem, ut Theologi in Scho-
lis vocant, inveniit. Integra ac proflus illata
permanente doctrina de divina gratia se ipsa
efficaci, & ad Beatorem gloriam Prædestinatio-
ne gratuita, quam a damnatis nuper erroribus
immani tutam discrimine, potissimum Schola
Thomistica, alique celeberrimæ in Orbe catho-
lico Academiæ, frequentesque Theologi
Ducibus SS. Augustino & Angelico Doctore,
propugnant. Quorum doctrinæ erroris notam
hujusmodi ab se inquam Constitutione Quæ-
snellianæ studentes causæ per summam injuriam
calumniosos esse, Clemens celebratissimis litteris,
ordinentibus, Pastoralis Officii, quas ad univer-
sos Christianos Calendis Septembribus duode-
vigesimo hujus Sæculi Anno scripsit, merito
questus est; falsamque criminationem depu-
lit. “

XXXI. Novissime ad futurum Concilium provocatum est: quod factum, adversus Dogmaticam Summi Pontificis Sanctionem, in tota retro acta antiquitate Ecclesiæ recto atque probato carebat exemplo (alia ego non scio præterquam Juliani Eclanensis & xvii. cum ipso Episcopo- rum Pelagianorum: Michaelis de Cefena, hominis aperte Schismatici: & Martini Lutheri a Bulla Leonis X.) (9) *Nec alia Refragantes ipsi, quam Hæreticorum, coram Aurelio duce, & aliis probrosa laudabant facta, quibus contractam exinde invidiam surpiore probro, nedum in cassum, amoliri nitentur.* Sed ad Paschasium Quæsnellum reverte-
tamur.

XXXII. Igitur Quæsnellus paulo ante mortem coram duobus Notariis, fidei suæ professionem, postea publici juris factam, edidit: in qua quid de Doctrina, per Constitutionem Summi Pontificis ab universa Ecclesiæ acceptatam, damnata sentiret, etiam tum morti præximus, aperuit his verbis: *Declaro me persistere in ea opinione, quod NIHIL vel in meo Observationum Moralium libro, vel in aliis scriptis meis docuerim, quod non MAXIME congruat fidei Ecclesiæ. . . me renovare, quas feci querelas & protestationes, adversus manifestam injustitiam illorum, qui me condemnarunt inauditum. Me persistere in appellatione, qua ad futurum Concilium Generale provocavi &c.* Hac profecto solemnī protestatione, quid ipse de Doctrinis jam olim ab Ecclesiæ Romano-Catholica damnatis fenserit, ostendit. Ostendit, inquam, se in ea semper fuisse ac mortuum esse opinionem, quod varii articuli Baii, doctrina Jansenii, &c. quam cum Romano Pontifice in libro *Reflexionum Moralium* vident omnes per Orbem Episcopi Catholici, damnantque ut hæreticam; *MAXIME congruat doctrinæ Ecclesiæ*; id est, ostendit

dit se errasse, & in errore cum pertinacia immortuum esse: cum teste S. Augustino in *Enchiridio* cap. 16. *Nihil sit aliud errare quam verum putare quod falsum est; falsumque quod verum est: vel certum habere pro incerto; incertumve pro certo, sive falsum sit, sive verum.*

XXXIII. Errare porro in fidei materia, cum pertinacia, hæreticum facit. Sic igitur se ipse condemnat, & alios condemnantes absolvit. Frustraque questus est, se inauditum; cum ab Archiep. Mecliniensi, de persona ejus sententiam laturo, citatus ut coram ageret causam suam, & ipse se, si quiret, defenderet, comparere contempserit; (1) Romæ autem, ubi de ejus libro agebatur, non Quæsnellus, sed liber comparere debuerit: uti comparuit, Rei, accusatoris, ac testis munere functus: fueritque ejus accusatio, depositio, confessio innumeris Quæsnelli ipsius scriptis, præsertim vero solemnī, quam diximus, morientis protestatione confirmata ac sigillata. Enim vero, persistere se protestatus est in ea opinione, quod *NIHIL*, vel in suo *Observationum* libro, vel in aliis scriptis suis docuerit, quod non maxime congruat fidei Ecclesiæ: atqui de *observationum* libro contrarium judicat Ecclesiæ Universæ: & de scriptis apud eum, dum capereur Bruxellis, reperitis, juridice constat Baii, & Jansenii doctrinam continuisse: notumque est Orbi Universo adhesionem ad Baii & Jansenii doctrinam, voluntarii apud Baravos exilii occasionem fuisse. Quis ergo dubitet quia eandem doctrinam *MAXIME* fidei congruere existimaverit; ac veluti talem mordicus ubique defenderit? Martino Lutero omnino similis est, qui apud Joannem Fischerum Episcopum Rosenfem, in *Constitutione Assertionis Lutheranae*, ita loquitur: (2) *Hodie protestor me non esse mihi conscium aliquid dixisse, quod sit contra Sacram Scripturam, Ecclesiasticos Patres, aut Decretales Pontificum, aut rectam rationem.* Porro Quæsnellus paulo post illam protestationem, Amstelodami in Hollandia, quo se receperat, mortuus est (3): pertinaci sua contra Ecclesiam rebellionem sequens meritus.

E P I T A P H I U M.

Hic jacet

PASCHASIVS QUÆSNELLIVS

Anagnina

QUI HELENAS, LUPUS, SISCIA

id est

Hellenista Schismaticus, Lupus Hæreticus,

Ecclesiæ Lues,

Patriæ suæ Incentor,

Velut alter SISCIA Bohemicus.

C A P. III.

De gratia Adami ante peccatum.

§. I.

Propositio Quæsnelliana, consura notata.

Gratia Adami est sequela creationis; & erat debita naturæ sanæ & integre. Est 35. Quæsnel. 2. Cor. 5. v. 21.

I. **N**omine gratia hic intelligendæ veniunt prærogativæ illæ omnes ac præminentia, quibus a Deo Adamum fuisse dotatum ex Scripturis Theologi colligunt. In felicissimo illo statu,

nulla erat in Adamo ignorantia veri, difficultas nulli recti. Ornatus universalissima scientia; quam Augustinus alibi colligit ex nomine ab Adamo singulis animantium speciebus imposito; voluntatem habebat Deo perfecte subiectam; vires inferiores concupiscentiæ rationi. Poterat non peccare, poterat non mori, poterat bonum non deserere. Ad illud felicissimum beatitudinis statum, in quo peccare aut mori jam non potuisset, aut bonum adeptum deserere. *Tales vires*, inquit Augustinus, (4) *habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipso & concupiscentialiter resistebat; ut digne tanta bonitati, & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium.* Hæc omnia hic veniunt nomine gratiæ. Sed per Quæsnellum proprie ac vero gratiæ non sunt, quia debita natura sanæ & integre: imo sequela creationis; magno Augustino teste (5) *Non enim Dei gratia gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Et iterum: (6) *Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia si ex debito redditur? Denique (7) Gratia . . . nisi gratuita, non est gratia.*

II. Quæsnellus quantum hic ad Bajum accedit; tantum ab Augustino, Thoma, verbo SS. Patribus, & communi Theologorum, imo Ecclesiæ sententia recedit. Ab Augustino quidem: nam hic de *Genes. ad lit. Adam*, ait, (8) *mortalis erat conditio corporis, immortalis BENEFICIO Conditoris.* Item, (9) *De cor. & grat. Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ BONTATE sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus profusus nullum patiebatur malum.* Ubi dum exclusit meritum ut stabiliat gratiam, omne debitum excludit, juxta superius allatam ejusdem S. Patris sententiam: *Non enim Dei Gratia erit ULLO MODO nisi gratuita fuerit OMNI modo.* Quid, quod de Angelis loquens, de nobilissimis illis spiritibus dicat: (10) *Deus simul erat eis & condens naturam & LARGIENS gratiam: subiungiturque: confitendum est igitur, cum debita laude CREATORIS, non ad solos Sanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis: quibus verbis dona Angelis in creatione collocata, ut possent ad finem suum, id est beatitudinem pervenire, veram gratiam, ex largitate seu liberalitate Conditoris promanantem, adeoque indebitam prædicat: & credemus dona homini, eundem ob finem collata, fuisse naturæ ejus debita? Absit. Utrisque quod datum est, ex largitate, ex liberalitate, ex bonitate, ex beneficio Conditoris datum est: id est, utriusque gratia proprie dicta collata est. Deus erat eis & condens naturam (utique & quæ naturam sequuntur: nam qui dat esse dat consequentiam ad esse) & largiens gratiam. Aliquid ergo in eis fuit ultra naturam; quod specialiter largitari divinæ adscribitur.*

III. De S. Thoma id non minus constat. Gratiam Adamo in statu innocentie collatam fuisse probat; eandemque fuisse mentem SS. Patribus ac Theologis, quamvis hi nonnihil circa tempus quo collocata fuit differant, affirmat: (11), *Dicendum, inquit, quod quidam dicunt, quod primus homo non fuit creatus in gratia, sed tantum postmodum gratia fuit sibi collata antequam peccasset. Plurima autem Sanctorum auctoritates attestantur hominem, in statu innocentie gratiam habuisse.* Sed quod fuerit conditus in gratia, ut alii dicunt, videtur requirere ipsa res, sicut.

(1) Die 11. Jul. 1705. (2) De Reg. jur. in 6. (3) Vit. Clem. XI. lib. 4. n. 39. (4) Ibid. (5) De dono Peril. cap. 20. (6) Vit. Clem. I. 4. n. 63. (7) Ibid. num. 61. (8) Lib. 4. num. 37. (9) Vit. Clem. I. 5. n. 24.

(1) Vide hic num. 22. & 24. (2) Procem. §. 3. (3) 2. Decemb. 1719. (4) De cor. & grat. cap. 12. n. 37. (5) De pecc. Orig. cap. 24. n. 28. (6) De grat. Chr. cap. 23. (7) Cap. 31. (8) Lib. 6. c. 25. n. 36. (9) Cap. 11. (10) Lib. 12. de Civit. Dei c. 9. (11) I. p. q. 95. art. 1.